

§. 14. Nimirum longiore paulùm indagine opus est ut clare constet, quid h. l. sit λογική, (aut λογικήν εἶναι λατρείαν,) quando Interpretes in plures iterum abeunt vias. (1) Quidam λατρείαν λογικήν dici putant, quia ipsa víctima est rationalis. Sic Erasmus. Vt ostenderet Apostolus, scribit l. c. Christianorum cultum dissimilem esse Judaicis Ceremoniis, quibus immolabant brutas pecudes, adjecit rationale, nimirum ipsum hominem sentiens, qui víctima est rationalis, & ob id DEO acceptior. Et similiter L. Osiander ad verba, rationalem cultum vestrum, hæc annotat, i. e. cultus divinus posthac à vobis non exerceatur offerendis irrationalibus pecudibus, sed vos ipsos (rationales creaturas) ad supra dictum modum DEO nostro. Eodem tendere videtur, quòd Æg. Hunnius interpretatur λατρείαν λογικήν rationalem hostiam. Ubi necesse est, non tam ζῶμα aut corpus ipsum propriè & formaliter appellari rationale, sed potiùs totum hominem, qui quoad animam est rationalis, intelligi; aut spectari corpus, quatenùs animatur animâ rationali: quæ synecdochica locutio utrinque fuerit. Quam in rem Grotius, in Notis ad h. l. Nos offerimus corpus, in quo est animus rationis excellentissima compos, & actiones ratione directas. Et Censor ejus in Bibl. Anti-Grot. ad h. l. quia alluditur ad sacrificia Levitica, præstat λογικήν dici hostiam, & λατρείαν respectu materia, quod non per pecorum, sed corporum nostrorum oblationem fiat, quàm ratione principii sive efficientis, sive dirigentis.

§. 15. (2) Alii tamen λατρείαν λογικήν dici putant, quia in mente sive animo fiat. Ita Estius: Vocat Apostolus obsequium seu cultum rationalem, eum, qui in ratione ac mente situs est. Et Georg. Calixtus ad h. l. Rationalem cultum illum dicit, qui mente & ratione ipsa præstat. Denique Christ. Chemnitius Comm. ad h. l. p. 169. rationalem cultum sic explicat,

cat,